XII. b.

TRACTATUS DE CÆLESTI GLORIA

Ex Germanico Authore Anonimo, in Latinum translatus.
À Frē Marciano Salisburgensi Capucino Indigno. 1694.

Præfatio Authoris ad Benevolum Lectorem.

Tot, tamq; diversa sunt hisce Temporibus Argumenta innumerabilium Librorum et Tratatuum, qui per Typographiam ubiq; disperguntur, quod hac in parte vere cum Ecclesiaste fateri cogamur. Faciendi plures Libros nullus est finis. Ecclesiaste 12 cap. Attamen si Cathalogum Librorum certis Anni Temporibus perlustramus, Bonum à malo, Salutare à nocivo separamus, Bone Deus: quam Ingens Bibliotheca Vertitur in parvam Arculam continentem Libros sanctos. Nam quot sunt Libri, qui Te ad Devotionem alliciunt? In bonis moribus informant? ad Virtutes Christianas sectandas admonent? et Res futuras in mentem Revocant? Potior pars Authorum laborat non pro te, sed pro se ipsis; Quærunt sibi magnum Nomen facere, Ingenium summum, et inauditam Sapientiam sæpius per nocivas quam salutares, Vel saltem per Curiosas Quæstiones demonstrare. Alij tractant proh Dolor! ex Professo tales nocivas et scandalosas Materias, quæ inter Christianos merito nec Nominari deberent. Elias magnus Cumulus Illorum, Qui se à Communione Corporis Christi separarunt, Martem inflant labriosi sui Libri inter